



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

37. De operis seruorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

acquiratur. Si quid vero extra eas causas persecuti sint, id ad dominum proprietatis pertinet. Itaque si is seruus hares institutus sit, legatumve quid sit, aut si donatum fuerit, non mihi, sed domino proprietatis acquiritur. Iuxta hanc legem intelliguntur, que habentur in l. Si usufructuarius, in l. seruum usufructuarius, & in l. 1. §. Si usufructuarius, ff. de stipul. seruo. Ac ea lex intelligi debet, vt Glossa annotauit, iuxta id quod habetur in l. si serui, & in l. Sed, & si quid ff. de usufructu, scilicet, si seruus hares institutus sit, vel legatum aut donatum acceperit, distinguendum est: Aut institutus est, aut legatum vel donatum accepit gratia & contemplatione usufructuarii, & tunc ille acquirit: Aut gratia proprietarii, & acquirit proprietario: Aut gratia & contemplatione ipsiusmet serui, & tunc acquirit domino proprietatis, vt dicitur in l. acquiritur, supra citata.

Octauo queritur, Cuiam acquirat paciscendo vel stipulando liber homo, aut seruus alienus bona fide ab aliquo possessus? In l. acquiritur, vers. Idem placet ff. de acquire. ver. domin. sic habet Caius Iuriconsultus: Idem placet, de eo qui à nobis bona fide possidetur, siue liber sit, siue seruus alienus. Quod enim placet de usufructuario, idem probatur etiam de bona fide possessore. Itaque, quod extra duas istas causas acquiritur, id, vel ad ipsum pertinet, si liber est, vel ad dominum eius, si seruus est. Et in l. Liber homo ff. eod. tit. Liber homo, qui mihi bona fide seruit, id quod ex operis suis, aut ex re mea pertinet, ad me pertinere, sine dubio Aristote. ait. Quod vero quis ei donauerit, aut ex negotio gesto acquisierit, id ad ipsum pertinet. Sic ibi, Ex qua re etiam colligitur, huiusmodi liberum hominem sibi acquirere legatum, vel hereditatem, quamuis in hereditate aliqua eius opera sit, & licet testator eum instituerit gratia & contemplatione possidentis.

Nono queritur, An seruus quem dominus pro derelicto habet, domino acquirit, an sibi? In l. Quod seruus, ff. de stipul. seruo, sic habetur: Quod seruus stipulatus est, quem dominus pro derelicto habebat, nullus est momenti; quia qui pro derelicto rem habet, omnino à se reuocat, nec potest eius operis vii, quem in re ad se pertinere nolit.

Quid si huiusmodi seruus statim, atque pro derelicto habitus est; fuerit ab alio apprehensus? In eadem lege dicitur: Quod si ab alio apprehensus est, & stipulationem ei acquirere potest. nam & hæc genere quodam donatio est: Querens, an seruus, quem dominus pro derelicto habet, eo ipso fiat sui iuris, hoc est liber homo? Ratio dubitandi est, quia statim definit esse dominum, qui eum pro derelicto habet, ergo factus est sui iuris. Respondeo ex l. Pro derelicto: Pro derelicto rem à domino habitam, si sciamus posse nos acquirere: sed Proculus, non desinere eam rem domini esse, nisi ab alio possessa fuerit. Iulianus, desinere quidem dimittere esse, non fieri autem alterius nisi possessa fuerit. Et recte. Ergo seruus quem dominus pro derelicto habet, definit quidem eius esse, & proinde ei non acquirit; sed non statim fit liber: ac propterea non confestim sibi acquirit: ex quo fit, vt adhuc in seruitute manere possit, scilicet si alius sciens eum pro derelicto habitum à domino, statim apprehendat tanquam pro derelicto omittum, hæc n. ratione res pro derelicta à domino habita, occupantis fit propria. tunc enim, vt in l. Quod seruus, superius allegata dicitur, videtur esse quædam donatio domini, quando sciens rem pro derelicta haberi eam tanquam talem apprehendit. Tunc igitur seruus incipit acquirere ei, qui apprehendit ipsum. Hinc etiam fit, vt seruus, quem pro derelicto dominus habet, possit seipsum liberum efficere, nimirum si pro libero diu se gerat, videlicet per decennium, inter presentes, & per viginti inter absentes, ita vt à nullo alio apprehendatur. Sicut enim alius potest eum apprehendendo suum seruum facere; sic etiam ipsemet, cum videat se pro derelicto haberi, potest quasi seipsum apprehendendo liberum reddere, & tunc sibi acquirit.

Decimo queritur, Cui acquirat seruus dum est in fuga? In l. seruus meus, ff. de stipul. seruo, sic est: seruus meus cum apud suum esset, furi dari stipulatus est. Negat furi deberi Sabinius, hoc est, nulla actio furi acquiritur. Sed quæstio est, an tunc

acquirat domino, ita vt dominus actionem habeat ex stipulatione serui? Ex eadem lege colligitur, huiusmodi seruum si furi nominatim stipuletur, nec furi, nec domino acquirere. Non furi, quia eius seruus non est: non domino, quia eo tempore illi non seruit; & furi, non domino, nominatim stipulatus est. Quod si stipuletur simpliciter furi nomine non exprello, tunc domino acquirit.

Hinc colligitur, Quid sit dicendum de seruo, qui dum est in fuga, stipulatur. Nam si stipulatur exprello nomine eius, apud quem est, nec ei nec domino acquirit, est enim inutilis stipulatio: quod si stipuletur absolute & simpliciter nullo nomine exprello, tunc acquirit domino: quoniam eum dominus adhuc ciuilitate possidet, quamuis non naturaliter.

Vndecimo queritur, Cuiam acquirat seruus communis duorum vel trium? Seruus communis dicitur is, quem plures tanquam seruum in solidum possident, ita vt quisque eorum habeat liberum ius & facultatem vtendi operis eius: qui sic omnium est, non quasi singulorum totus, sed pro partibus vndique indiuisis, vt intellectu magis partes habeat, quam corpore. l. seruus communis, ff. de stipul. seruo. Talis igitur seruus si cuique stipuletur, vel quæq; alia ratione acquirat, omnibus pro parte, qua dominium in eo habent, acquirit, l. seruus communis, modo citata. Quid si nominatim vni ex dominis stipuletur, vel traditam rem recipiat, vt ei det? Respondeo, ei solum acquirere, cui nominatim stipulatus est, d. l. Seruus communis. Et idem iuris est, si non stipulatur nominatim vni domino, sed iussu vnius dominorum: tunc enim illi soli acquiritur, cuius iussu stipulatus est.

Duodecimo queritur, Cuiam acquirat seruus eius, qui ab hostibus captus est? Respondeo, l. 1. ff. de capti. & post. li. reuer. sic habet: Quod seruus eius, qui ab hostibus captus est, postea stipulatus est, aut si legatum sit seruo eius postquam ille ad hostes peruenit, hoc habebunt heredes eius, quia et si captiuitatis tempore decessisset, acquisitum foret heredi. Sic ibi, sensus legis est, vt explant Glossa ibidem: Quicquid acquirat seruus eius, qui est ab hostibus captus, à die quo captus est, si postea apud hostes discesserit, acquirit heredibus defuncti domini: quemadmodum si dominus decessisset, antequam seruus acquisisset. Ratio est, quia statim, vt dominus captus est ab hostibus, legis fictione decessisse creditur, si postea apud eos mortuus fuerit: vt colligitur, ex l. In bello, §. 1. & l. Bona, & l. Pater ff. de capti. & post. li. reuer. ff.

Decimotertio queritur, Cuiam acquirat is, qui dicitur in l. statu liber? Statu liber est, vt supra dixi, seruus, cui relicta est libertas in diem, vel sub conditione. l. 1. ff. de statu liber. dicitur: Statu liber est, qui statutam & destinatum in tempus, vel conditionem, habet libertatem. Sic ibi, Vnde donec, vel dies venerit, vel conditio extiterit, dicitur statu liber, & est seruus heredis, vt habetur in l. Statu liber, ff. de statutib. Quare sicut toto eo tempore medio, si delinqueret, potest hæres eum dare pro noxa: existente autem conditione, vel adueniente die fit liber: sic quicquid acquirat eodem tempore medio, acquirit heredi, cuius seruus est, non sibi, quia eo tempore sui iuris non est.

C A P. XXXVII.

De operis seruorum.

Libro 7. Pandectarum est titulus 7. de operis seruorum.

Primo queritur, Quid dicendum, cum Titius Caio legauit operas serui, an legatum eiusmodi debeatur Caio à die quo factum est, an à die quo serui operæ extiterint? Sicut si Titius promississet Caio partum futurum ancillæ suæ, non deberet illum, antequam partus existeret. Vnde in l. 1. ff. de operis seruo, dicitur: Opera in actu consistit, nec ante in rerum natura est, quam si is dies venit quo prestanda est: quemadmodum cum stipulamur, quod ex Aretusa nati erit.

Secundo queritur, An operæ serui legatæ censentur, cum quis legauit vsum fructum? Respondeo, legatæ in-

relligi. In l. In hominis, ff. de operis seruo sic est: In hominis usufructu opera sunt, & ob operis mercedes. Ita lex. Vnde si Titio legasti usufructum tui serui, eo ipso legasti operas serui: & proinde si quis conduxerit operas serui, merces opera legatario, cui relictus est fructus serui, debetur: & contra, si leget Titius serui sui operas Caio, intelligitur legasse fructum serui sui, nam fructus hominis in operis consistit. l. fructus, ff. de oper. seruorum. Hinc est, ut idem seruus possit esse duorum dominorum seruus, ut puta proprietate vnus, usufructu alterius, vel etiam duorum in solidum. Inst. de usufructu. §. Constituitur.

V usufructuario per seruum eius acquiruntur ea tantum, quae ex operis eius, vel ex re ipsius fructuacii pronentur: quod autem extra has duas causas seruus acquirit, veluti legatum, hereditatem, donatum, & id genus alia, domino proprietate acquiritur. Inst. per quas personas nob. acquirit. §. 1. §. de his.

Tertio quaeritur, Quid per seruum usufructuario, cui solum relictus est usus est, quaeratur? Si acquiruntur opera serui, quia operis legatis usus relictus censetur, l. In hominis, & l. fructus, ff. de oper. seruo. Ita tamen, ut eis ipse utatur, at non, ut locet, nec contra res suas utatur. l. per seruum, & l. Plenum, §. ut ff. de usu, & habitas. Nam inter usufructum & usum hoc interest, quod in usufructu, & fructus percipiuntur: usus autem sine fructu est, & ad vsum quotidianum usus rerum datur: non autem, ut locari possit usus vel fructus, sicut nec is qui usufructum tantum habet, de proprietate disponere nequit, quia ius utendi fruendi est, salua rerum substantia, l. 1. ff. de usufructu.

Quarto quaeritur, Quid dicendum, si fructuarius locauerit ad tres annos operas serui, in quo usufructum habet, & quinto mense tertii decesserit? Respondeo pro rata temporis portione, mercedis tertij anni pertinere ad haeredes fructuarii, reliquas mercedes ad proprietarium. Vnde si fructuarius initio tertij anni à conductore omnes totius anni mercedes accepit, debet tantum haeres eius retinere, quantum merentur opera quinque mensium, quibus vixit usufructuarius in tertio anno, & aestimationem operarum reliquae partis anni restituere proprietario, deductis tamen necessariis impensis, si quas fecerit fructuarius. Glossa in l. cum de operis seruorum. Aliud ius est de annuis legatis. Nam si Titius legauerit Caio annuos decem aureos, & Caius decesserit, postquam vixit quinquennium, & vnum mensem, vel vnum diem, haeres Titij debent haeredibus Caij integrum legatum sextij anni, l. A vobis, & l. in singulos, ff. de annuis legatis.

C A P. XXXVIII.

De peccatis, quae domini committunt in seruis.

PRIMO quaeritur, Quenam debeat dominus seruo? Respondeo, haec omnia quae sequuntur, nempe, victum, vestitum, habitationem: quae tria nomine alimentorum comprehenduntur. Item institutionem, qua seruis fidei & religionis Christianae praecipua & leges obseruet, si Christianus sit. Debet item dominus seruum castigare & corripere, ut sic cum in officio contineat.

Secundo quaeritur, An si dominus seruum suum occiderit, debeat aliquid restituere? Quidam arbitrantur debere eum restituere serui haeredibus: quia dominus qui seruum suum necat, vere homicida est, at homicida restituere vitam alteri ademptam iure debet eo modo, quo potest. Cum igitur dominus suo seruo interfecto vitam reddere nequeat, debet aliquid ipsius serui haeredibus restituere. Sed certe non video, quo iure haeredibus quicquam restituere cogatur. Fatetur quidem, cum vere & proprie homicidam esse, qui suum seruum occiderit, & iniustitiae crimen admittit, quia eripit alteri vitam, & ut superius diximus, dominus vitae & necis imperium & potestatem non habet in seruum, & quod attinet ad ius naturae &

gentium omnes homines sunt liberi. Cum igitur seruo occiso vita reddi non possit, nec aliquid aliud quod vita compensetur: sequitur, ut nulli alteri dominus quicquam debeatur, eo quod vita, opera, & industria serui non erant aliorum, sed ipsius serui & domini. Neque vero dominus suo seruo interfecto, alius damnum intulit, sed sibi soli, qui se serui commodis, operis, & fructibus priuauit. Nec seruus cum bonis careat, vilam debet alius hereditatem: nam etiam si filios haberet, cum est in seruitutem abductus, illi continuo sui iuris sunt facti, & bona quae ante seruitutem pater habebat, in eorum dominium transferuntur: non tamen ipsius patris vita, aut libertas; quare ipsius nullam aliam iure naturali legitimam portionem debet.

Tertio quaeritur, An si dominus serui sui manum vel pedem, vel aliud membrum amputauerit, debeat aliquid ipsi seruo restituere. Quidam opinantur debere, inde permoti, quod Exod. 21. cum dicitur: Si percusserit, quisquam oculum serui, aut ancilla, & luscus eos fecerit, dimittis eos liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit seruo, aut ancilla similiter dimittes eos liberos. Nam quamuis huiusmodi leges Iudicialis, vna cum caeremoniis veteris legis abrogatae sublataeque fuerint, cum aequitate tamen & iure naturali videntur congruere, quoniam ut dominus in vitam serui potestatem non habet, ita nec in membra serui, quae abique graui iniuria & damno ipsius serui amputare non potest. Aliis vero contra videtur nihil dominum seruo debere, eo quod sibi soli ipse dominus nocuerit, cum serui membrum absciderit, ex quo fructum & commodum percipere poterat, quo se priuauerit. Et quamuis serui membrum amputauerit, ac propterea contra ius, & fas omne deliquerit, non tamen ipsi seruo damnum intulit dominus, cum nullum amplius ex eo membro serui, quod abscidit, emolumentum & lucrum percipiat. In lege veteri, inquirunt, sancitum erat iuri naturali conuenienter, ut dominus serui vel oculum eruens, vel dentem excutens, eos liberos dimitteret: tum quia apud Hebraeos Iudaeis seruus non erat proprii mancipium, sed seruus tantum temporaneus, nimirum septimo anno, aut saltem quinquagesimo in libertate pristina reddendus: ac proinde magno damno afficiebatur, cum eius membrum aliquod amputabatur: tum etiam quia ea poena condemnatione criminis, & iure scripto, non naturali irrogabatur. Atque ita etiam modo lex sancit potest, ut dominus qui serui oculum effoderit, vel dentem excusserit, cum liberum dimittere cogatur: sed poena post iudicis sententiam debetur, aut saltem vi, & ratione ipsius iuris scripti, non iuris naturalis, aut in foro conscientiae, aut vilam, vel Iudicis sententiam, vel legis humanae decretum. Ex quo fit, aiunt iidem auctores, ut qui seruum alienum percusserit, restituere domino debeat quidquid damni ex serui vulnere natum sit. Mihi prior sententia probabilior videtur, ut dominus serui membrum abscidens & amputans, debeat iure naturali ante omnem Iudicis condemnationem ipsum seruum liberum dimittere, vel alia quouis ratione ei fas scire, ut illius damnum restituta libertate, vel alio modo compenset: est enim corporis membrum libertate pretiosius, & carius.

Tertio quaeritur, An si dominus seruum ad peccandum inducat, pertrahat, compellat, debeat aliquid restituere? Respondeo, seruo fas esse dominum in iudicium vocare. Nam in l. Si tenones, C. De Episcopali auidencia statuitur, ut si dominus necesse necessitatem impulerit peccandi, liceat Episcopis eas à seruitute liberare, liberate, in poenam delicti de minorum, eas donando. & in l. 1. §. Quod autem ff. De officio Praefecti vrbis, habetur: Si domini seruis iurata si duritia si fame premant si in obscenitate eos compulerint, vel compellant, apud Praefectum vrbis exponant. Haec ibi.

Quod si quis quaerit, Quid faciendum, si ius civile Romanum non valeat, nec serui quereia contra dominum in iudicio adhibetur? Respondeo iure naturali tunc seruo fugere fas esse, quo se à peccato liberet: magis enim